

posteriores emendationes aliasque illustrationes complectentes primae huic parti ad-
jungerentur. Cum itaque hoc quod in votis erat perficere demum mihi fuisset
concessum, gavisus admodum sum non modo quod cumulatus, atque pro viribus
magis absolutum opus offerre tibi possem, sed quod jam tempus nactus fuisset
et magnam tuarum virtutum laudem, et singularia in me merita celebrandi,
atque tibi Fratrique tuo benemerentissimo aliquam praebendi grati animi mei
significationem.

Quid enim mihi tot beneficiis devincto agendum supererat, nisi ea praedi-
care, ac laudibus efferre? Haec unica gratiarum viris in alto dignitatis gradu
positis solvendarum via, ut rectissime dixerit ultimus ex gentilitate Romanorum
Imperator Julianus *, ingrati viri notam mereri non tam qui mala pro bene-
factis rependit, quam qui taciturnitate ea silet, nec voce pandit. Atque utinam
quantum in me est desiderii, et voluntatis, tantum esset facultatis, ac vis di-
cendi quam apertus, quam latus laudum tuarum efferendarum campus mihi nunc
suppeteret? possem celebrare maximam tui erga Deum pietatem, et cultum,
orandi frequentiam, vigilem in officio sollicitudinem, summam erga omnes bene-
volentiam, et comitatem. Solemne enim, ac tibi quotidianum omnibus praebere
aditum, benigne excipere, libenter auscultare, adesse officio, ope juvare ac pa-
trocinio. Quis vero tuam in consiliis prudentiam, ac in deliberando iudicii matu-
ritatem satis commendet? Quae enim in dioecesi factio, aut discordia fuit unquam
excitata, in qua tua virtus in conciliandis dissidentium animis non emicuerit? Quid
vero dicam de tuis in Monasterium, Seminarium, ac Cathedrali Ecclesiam me-
ritis? Ad illud antiquissimum Virginum coenobium a D. Guidone fundatum, ac majoris
templi contiguum ita animum, ac mentem initio tui Episcopatus intendisti, ut et
propriarum legum observantia, caeterisque virtutibus, quae Deo dicatas Virgines
decent, floreret quam maxime, et ut res eorum neglectae, ac prostratae resur-
gerent, atque aliquod incrementum caperent. Qua in re quod paucis sane
obtiguit, tua prudentia effectum est, ut victus ibi, ac mensae communio primum
induceretur, quod quantum eorum depressae inopiae sublevandae profuerit, comper-
tum fuit postea, quo de novandis monasterii aedibus est deliberatum. Quid de
seminario, cujus dimidiam partem fere ex integro e fundamentis reformasti, cu-
bicularum, cellariis, bibliotheca amplificasti, cujus coenaculum situ, ac humiditate de-
pulsam puriori aëri reddidisti. Neque materialium tibi solum aedium cura fuit, sed
multo amplius rectae institutionis Clericorum, qui ibi te inspectore, ac duce ad
pietatem aequae, ac ad studia informabantur. Quid enim non egisti, ut ad studia
incitares, commoda promoveres? Publici professores qua hortationibus, qua
officiis, ac liberalitate allecti, ut iis advigilarent, consulerent: assumpti magi-
stri, qui privatim lectiones explicarent, exercitationes agerent, publica in Epis-
copali aede indicta pericula, habitae disputationes. Quid demum de Ecclesia Ca-

* ἔστιν οὐχ οὗτος ἀχάριστος μόνον, ὅστις εὐπαθῶν δρᾶ κακῶς ἢ λέγει, ἀλλὰ καὶ ὅστις σιωπᾶ, καὶ ἀποκρίπται,
ἀλλὰ καὶ ἀφανίζων τὰς χάριτας. Juliani Orat. pag. 102.